


Biogr. er. D

973



~~802~~





IN  
NUMISMA NORICVM  
HONORI

PERILLVSTRIS EXCELLENTISSIMIQUE VIRI  
PAVLLI IACOBI DE MARPERGER

DYNASTAE SCHIEBELSBERGI  
SACRAE CAESARAE MAIESTATIS A CONSILIIS  
REIPVBLICAE NORIBERGENSIS CONSILIARII PRIMI FRAN  
CONICAEQVE REGIONIS LEGATI

C V S V M

COMMENTARIVS

EIDEM PERILLVSTRI VIRO SACER  
IOAN. GVILIELMI DE BERGER

AVGVSTISSIMI IMPERATORIS A CONSILIIS  
POLONIAR. REGIS AC PRINC. ELECT. SAX. CONSILIARII AVLICI ET  
HISTORIOGRAPHI ELOQVENTIAE PROF. PVBL. ORDIN. ALVMNOR.  
REGIO ELECTOR. EPHORI BIBLIOTHECAE DIRECTORIS  
ACAD. TOTIVS VITEMBERGENSIS SENIORIS


EDITVS

A

SAMVELE LVTHERO GERET

THORVNENSI PRVSSO

DOCTORE AC PROFESSORE PVBL. EXTRAORDIN. ASSESSORE  
ITEM ORDINARIO PHILOSOPHO IN ACADEMIA VITEMBERG.  
ACADEMIAE ELECT. MOGVNT. SCIENTIAR. UTILIVM  
SODALI REGIAE GOETTINGENSIS SCIENTIAR. SOCIETATIS  
AMICO IBIDEMQVE REGIAE TEVTONICAE SODALI  
INSTITVTO ITEM LITER. ACAD. IENENSI  
HONORIS CAVSSA ASCRIPTO



ROSTOCHI ET VVISMARIAE  
APVD IO. ANDR. BERGERVM ET IACOBVM BOEDNERVM  
VITEMBERGAE TYPIS IOANNIS SAM. GERDESII  
c13 13 CC LV

PERITVS  
PAVLLI JACOBI DE MARRPENSIS

DIVINAE THEOLOGIAE  
SACRAE CAESARIS MAJESTATIS A CONSILIIIS  
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS CONSISTENTIAE PRINCEPS  
CONSULENSIS

COMMMENTARIUS

IOANNIS GUILIELMI DE BERGER

AVGVSTISSIMAE IMPERIALIS A CONSILIIIS  
SACRAE MAJESTATIS A CONSILIIIS  
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS CONSISTENTIAE PRINCEPS  
CONSULENSIS

SAMVUELE VITHERO ORRET

AVGVSTISSIMAE IMPERIALIS A CONSILIIIS  
SACRAE MAJESTATIS A CONSILIIIS  
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS CONSISTENTIAE PRINCEPS  
CONSULENSIS

AVGVSTISSIMAE IMPERIALIS A CONSILIIIS  
SACRAE MAJESTATIS A CONSILIIIS  
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS CONSISTENTIAE PRINCEPS  
CONSULENSIS



AD  
PERILLVSTREM VIRVM  
PAVLLVM IACOBVM DE MARPERGER  
LIBELLI BERGERIANI

DEDICATIO

AVCTORE

SAMVELE LVTHERO GERETO

Erunt




AD  
PERILLVSTRIS MARPERGERE  
Quamuis nihil fere iuris mihi in hunc libellum  
competat, eum tamen ad TE,  
PERILLVSTRIS MARPERGERE,  
mitto, non una inductus ratione

Ex quo enim maximam illam nactus sum felicitatem,  
ut, in TVAM notitiam, ego, exiguae, si TE respicio, condi-  
tionis ac fortunae, peruenirem, literisque TVIS lectissimis, in-  
terdum, cobonestarer; siquidem, maxima non solum humani-  
tate, quam summis modo ingeniis coniunctam uidemus, omnes  
quasi, ad TE, inuitas literatos, sed eos etiam, qui TE, ultro,  
nominis uirtutumque TVARVM fama exciti, uenerantur, ea-  
dem excipis, ut illos numquam poeniteat, TIBI sese dedisse:  
non sine magno solatio, intellexi, TE, huic homini non plane dif-  
fidere, quamquam, de facie, illum quidem non noueris. Cuius  
fauoris TVI, in me propensi, multa mihi dedisti documenta.  
Beneuole mea, quae TIBI, testimonia deditissimi uenerantisque  
TE animi, obtuli, scripta, excepisti. Immo, illo ipso numi-  
smate, quod iam hic exhibet explicatque libellus, dono dato,  
satis superque, quam pietas TIBI mea non displiceat, compro-  
basti. Qui quidem numus, ut id, quod iam publice TIBI trado,  
tradi TIBI posset, causa fuit felicissima

Etenim






Etenim a TE mihi simul perscribatur, Bergerum, τοῦ  
παύου, nostrum, uirum immortalis memoriae, tantumque de-  
cus Academiae nostrae, quantum praestat antecessoribus, ma-  
gnorum itidem nominum, suis, Bergerum, inquam, nostrum,  
ὡς ἐν ἀγῶνι, ut erat, uir ipse laudatissimus, uirorum in laude  
uersantium, gloriae amplificandae, studiosissimus, simul ac ni-  
mista, honori TVO, a REPUBLICA NORIBERGEN-  
SI ILLVSTRISSIMA, dicatum, a TE acceperit, illud,  
commentatione illustrantem, TIBI misisse epistolam, EVASQUE in  
illo, tribus tantum uerbis, laudes uirtutesque expressas, diser-  
tissimo copiosissimoque descripsisse calamo. Addebas, repetisse  
illam Bergerum, ut quam, prae nimio, TIBI officium praestandi  
desiderio, celeriter, texuerat, illam, iam, grauitate uiri tanti,  
ipsiusque rei dignam, expoliret, ut omnium subire oculos posset.  
Quamquam enim illi, qui tam diu sua scripta fouent, donec nil  
corrigi, nil mutari possit, Sisyphi saxum uoluunt, atque humili  
metu retardati, domi semper abditi, latent, praesertim, cum id  
usu uenire uideamus, ut, qui semel iterumque ac saepius opus  
idem repetunt, ut forment, tandem deforment; qualem libro-  
rum, nimis sollicitam, tarditatem, Theophilus Raynaudus, ali-  
cubi, pumicationem appellat: tamen, qui sunt eruditissimi mor-  
taliū, non, prima quaeque, recte, censent, statim uulganda, sed,  
curis posterioribus, locum dandum, tamen, Bergerus, polyhisto-  
rum facile princeps, non sine ratione, perfectiorem uoluit episto-  
lam, in quam se festinanter coniecerat, odarum principem secu-  
tus, in de arte poetica\*. Denique, illud a TE subiiciebatur, Ber-  
gerum

(\*) 3

\* Non possum non mihi hic ipsi gratulari, quod, praeter spem, in manus  
meas uenit, codex Melanchthonis ἀπορυγᾶφος, in quo, ad uerbum, lectiones eius,  
in hunc Horatii libellum, de arte poetica, germanicis item sententiis interpositis,  
habentur.




gerum, ut moerori orbis literati, Academiae nostrae luctui, ita  
tristitiae quoque TVAE, qui amas, Maecenas, eruditos, deces-  
siffe, ipsamque epistolam, iam patre suo orbatam, forte num-  
quam ad TE redituram.

Nihil profecto iustius uidebatur, quam, cum iam, ut es  
generosi animi, non frustra uolueris hanc epistolam a Bergero  
conscriptam, illam repetere ab iis, qui nominis Bergeri opum-  
que haeredes sunt. Quod quidem mihi iniunxisti, ut TVO face-  
rem nomine, atque eo alacrius a me, id actum, uidisti, quo  
maiore TE prosequor religione.

Non potui non, cum, multum exemplari auctior, mihi,  
ad TE perferenda, traderetur, quod omnia, quae Bergeri in-  
genio debentur, summa auiditate atque delectatione a me legi  
solent, et grauissimi est argumenti, celebratione uirtutum Mar-  
pergerianarum, florentissima, illam legere, atque, ut illis, qui-  
bus delectamur, exsatiari non possumus, relegere. Bono illud  
quidem euentui

Namque factum inde, ut in illa epistola, qua, ad TE per-  
ferendum, Bergeri scriptum curabam, summis contenderem  
precibus, ut publici iuris fieri patereris. Vix ac ne uix  
quidem metuere potueram precum mearum recusationem, cum  
Berge-

habentur, quas, ut ipse annotauit Philippus, hic, apud nos, recitauit. Continentur,  
eodem hoc uolumine, manu itidem Brettinensis scriptae, annotationes, in Libb. III  
Ciceronis, de oratore, ad Q. Fratrem, recitatae A. 1545. Insettae etiam sunt duae  
plagulae, sed manu ignota scriptae, in quibus exhibentur notae Melanchthonis in  
M. Fab. Quintilianii L. III. III. et V. Institut. Orat. publice traditae. Tan-  
dem iterum Philippi manu, multae ludicae inscriptae sunt huic uolumini histo-  
riae, quae finem huic libro faciunt. Donec meliora edocebor, primas atque ter-  
tias indicatas Melanchthonis lectiones, ineditas, aestimo. Quas secundo loco no-  
minaui, Fabricius, in Bibl. Lat. Vol. II. p. 109. nominat quidem, editioni Com-  
mentarior. uarior. in Lib. Ciceron. Rhetoricos. Basil. 1541. fol. additas, at, num eae-  
dem sint, dicere non possum, cui conferre meas atque editas non licet



Bergerus ipse, finem hunc sibi, in illo elaborando, proposuisset, qui, uirtutum TVARVM aestimationem, non intra pectoris angustias continere, sed palam significare, de industria, uolebat. Verum singularis TVA modestia, qua, quamquam laudanda quotidie facis, laudes tamen non facile admittis, praeter spem omnem atque opinionem, noluit statim annuere precibus meis, siquidem putabas, benefactorum solam conscientiam testem, ad maximam laudem, satis esse, neque opus laudatoribus atque praeconibus, arcendis ab homine Christiano. Vt enim TIBI ipsi, numquam, in rebus praeclare gestis, satisfacere, aliis tamen, ueris meritorum arbitris, omnium spem superare, uideris, ita hunc libellum Bergeri, nimias TIBI laudes pleno tribuere ore, modestissime, aestimabas. O rarum, magni et excelsi spiritus, ac potius, mentis spiritu diuino agitatae exemplum.


Ita est, laudes suas Christianus studiosa ambitione non quaerit, non delectatur, siquis de eo, scripto oreque, magnifice loquatur, quippe cuius laudes illae sunt, quas Diuus Petrus, Apostolus, describit: \* quemadmodum erudite, neruose et grauius, ut semper solebat, immortalis frater TVVS, Marpergerus, nostras, hanc amici Domini nostri, IESU CHRISTI, imaginem, descripsit. \*\* At, pace TVA, hic se res aliter habet, uti iam apud TE dixi, et hic, de industria, copiosius repetam

Dabo TIBI, VIR PERILLVSTRIS, exemplum Iuriconsulti, religione, prudentia, incredibili patriae amore, prolixo, erga studia, fauore, exsplendescentis, hoc scripto, oratione splendida, publice, TE propositum fuisse a Bergero. Tunc uero naturalem rerum inter se colligationem impedies? qua, quem

ad

\* Epist. I, 1, 7

\*\* in Aufrichtigem Nathanael



ad modum solem umbra sequitur, ita, uirtutes resque bene gestas, gloria. Quid, si TIBI, quem, iure meritoque, inter Iureconsultos CHRISTI studiosissimos\*, posteritas referet, ipsum, hanc in rem DEI T. O. M. effatum opponam: Qui me in pretio habent, eos ego in pretio habebō. \*\* Non, profecto, qui ipsam contextae orationis introspiciet seriem, honores, tantum in animum hominis, a DEO conferendos, duntaxat hic intelliget, quin potius publicam, dignitatis laudumque, in ore omnium, celebrationem. Iam TIBI, DEum in pretio habenti, DEus ipse praeconem parauit, quo splendidius nomen TVVM, a uiro, inter eruditos, splendidissimo, fiat, cum pietatem in DEVM concedis nemini. Quis iam illam NVMINIS SVMMI prouidentiam retardabit

Nibil igitur laudes TVAS suppressere suadebit, nisi forte illud, quod nimis coloribus pictae uidentur. At enim, uix poterat, ulla re, nomen MARPERGERIANVM magis illustrari, et cum ipsa aeternitate exaequari, quam hoc ipso Bergeri libello. Bergerus enim est, quem praesens stupet aetas, et postera mirabitur, cuius scripta, clarissima luce, Germaniam hanc nostram, immo, regionem eruditam, perfundunt, uniuersam, qui

\* Nescio, an quis unquam doctius, facundius, grauiusque, instar Iureconsulti Christiani duxerit, quam summus sacrorum, in prouincia Electora i, Antistes, illustris noster Theologus primarius, Magnificus Summeque Venerabilis D. Carolus Gottlob Hofmannus, Patronus atque Praeceptor meus, summa pietate, ad cineres, mihi colendus, in oratione sacra, in memoriam politissimi Iureconsulti nostratis, Augustini de Leyser, habita, et publice, charta maxima, edita: Ein uollkommener Christlicher Rechts-Gelehrter, wurde in der, dem - - - Herrn Augustin von Leyser, über Galat II, 16, 17 gehaltenen gedächtniß-Predigt - - uorge stellt, von D. Carl Gottlob Hofmann &c. Wittenberg 1752. Quem sermonem sacrum eo lubentius huc afferendum duxi, quo magis, eo, cum fructu et delectatione, perlecto, TVAM, MARPERGERE EXCELLENTISSIME, imaginem depictam, legere mihi uidebar, et, quo certius scio, Hofmannum V. S. V. a TE amari aestimarique


\*\* Cod. S. Reg. L. 1, 2, 34. edit. Castellionis

*quibus, omnem prisca aevi gloriam, aequasse eum, si dixero, libera magis uox erit, quam superba, ut non dubitem, elogium illud, grande quidem, sed uirtutibus meritisque eius debitum, commeruisse Bergerum, quod, olim, Gerhardus Iohannis deportauit Vossius: uixisse Vitembergae nuper Virum, quem, qui norunt, non potuerunt satis aestimare, qui non aestimarunt, numquam satis cognouerunt. Sed immensas Viri laudes hic ne libare quidem sustineo, aliis, doctoribus me atque facundioribus, illas praedicandas relinquo\*: hoc tantum dico, eadem felicitate, nomina, a Bergero, laudibus ornata, gaudere, qua Zeuxis et Apellis picturae, hoc est, immortalite*

*Neque uero quis illas laudes nimias appellauerit, qui Bergeri cogitauerit dexteritatem, deinde, qui intellexerit, nil in TE esse, quod non sit magnum, nil a TE excogitari, nisi magnum, nil ex TE prodire, nisi magnum, nihil item a TE agi, nisi magnum. Quotquot enim Iureconsulto optimo ornamento esse possunt uirtutes, illae in TE omnes ita sunt conspicuae, ut, tamquam natura ingeneratae, stabilem, apud TE, sedem fixisse putentur*


T v

*\* Fecit hoc etiam, et solus fecit, insigni pietate, in praeceptorem suum, ductus, eiusque spiritu eloquenti agitatus, quem etiam Patronum et Praeceptorem meum, non minori pietate, ueneror, aeternumque uenerabor, illustris apud nos, ad Aed. S. Acad. Antistes, Theologus, doctrina et uita, uenerabilis, Magnificus Vir, D. Ioachimus Samuel Weickhmannus, cum, uirili plane castissimaque eloquentia, exquisitissimaque eruditione, panegyrica oratione, amantissimae sororis TVAE, Christinae Mariae, mariti, illustris Medici, D. Abrahami Vateri, pie defuncti, merita collaudaret, et triste Academiae nostrae fatum, quae, intra breue temporis spatium, duo uerissima decora, amiserat, oratione ineunte, deploraret. At ipse illud, VIR EXCELLENTISSIME, legisti, cum publici iuris, cum reliquis, in memoriam immortalis Vateri, scriptis, fieret, et legisti ita, ut in admirationem Weickhmanni rapereris*



*TV, VIR PERILLVSTRIS, in honore es magnanimus, in tam illustri fortuna moderatus, et, in distribuendae fortunae muneribus, magnificentissimus, in seruanda iustitia et aequitate, compescendisq[ue] sceleribus et flagitiis, fortis et constans, in administratione rerum dexter atque prudens, in tuenda ueritate et dignitate religionis maxime strenuus, in pietate ipsa, a qua, tamquam matre sanctissima, uniuersus, illustrissimarum uirtutum, chorus generatur, et quae princeps atque regina omnium uirtutum est, in pietate, inquam, diuini cultus deuotissimi amorem, et studium erga Antistites pios singulare, non ori atque labiis, sed intimis uisceribus, infixum, ostendis, cupiditate, denique, literas earumque florem et incrementum, tuendi, sic flagras, ut, qui ignoret, ad Academiam abeat Noricam, scholasque VESTRAS, quippe quae de TUA magnificentissima liberalissimaque munificentia, tam diu testabuntur, quam diu perstabunt. Loquentur de liberalitate et largissima beneficentia TUA omnes, qui Mineruae castra sequuntur, quos illam, summa uoluptate, gaudio et bono, experiri uoluisti. Praedicabunt TE quoque Maecenatem, boni et eruditi uiri, benignissimum, quorum consuetudine maxime delectaris, quibus, TVVM in illos studium, argumentis declaras manifestissimis et perpetuis, adeo, ut longe maior sis animo, quam uultu, intus quam extra, meritis quam uerbis, uno uerbo, maximus*

*Nimiis uero iam laudibus TE decorari posse, quis arbitretur, cui, par uirtutibus, Maecenas non datur? Sed quo dilabor? Egone illa, quae, non nisi maxima, TIBI in sunt, hic persequar? Minime uero id audeo. Vt enim olim insignis ille pictor Apelles, cum Veneris caput, et summa pectoris, politissima arte perfecisset, reliquam corporis partem, quam penicillo*




cillo exprimi posse desperabat, inchoatam et affectam relinquebat, ita TVAS, VIR EXCELLENTISSIME, uirtutes, cum omni uoce sint augustiores, silentii ueneratione inuoluere malo, cum tantae rei non par sum

At neque dignae uirtutum meritorumque TVORVM narrationi umquam quis par erit, qui, ab ipso AVGVSTISSIMO IMPERATORE FRANCISCO, in tam illustri loco positus es, ut inter eius amicos numereris, cuius, torque ornatus, CAESARIS OPTIMI, satis demonstras, TVAS uirtutes maximas tantasque esse, ut nullius orationis flumine, pro dignitate, celebrari possint atque efferrī. Certe, quilibet, qui, quae de uirtutibus TVIS, a Bergero atque me, dicta sunt, leget, indubitate perspiciet, nos, non per adulationem humilem, ea finxisse, quod a uiro bono, per se, quam alienissimum est, sed ueritatem scripsisse, uerbis adhuc minoribus, quam debebat

Attamen, si quis umquam mortalium potest, pro dignitate, iaudes TVAS celebrare, celebrauit illas Bergerus, hoc ipso libello, quem TIBI offero, adeo, ut a nemine plenius atque disertius fieri possit, aequè minus, atque illa, de qua, paullo ante, dixi, Veneris, ab Apelle, delineata pictura, a quoquam, perfici potuit, cuius rei causa religioni etiam mibimet duxi, quicquam, uel augendo, uel demendo, in Bergeri immutare labore

Verum neque debeo amplius quidquam de laudibus TVIS proferre, nisi ipse TIBI, hac dedicatione, molestus esse uoluerō, qui quidem, uti dixi, indefessus es faciendo ea, quae gloria sempiterna digna sunt, defessos tamen quasi homines TVOS uis, laudan-



dandis bis praeclearis uirtutibus. Igitur uim modestiae TVAE non inferam, potius gratiae TIBI a me persoluentur, quod, superatis, apud TE, dubitandi rationibus, precibus meis, de edendo hoc libello, locum dedisti


Quidni enim TIBI simul gratum memoremque animum significem, qui adeo me beasti, ut orbi erudito, Bergeri, oratoris summi doctissimque, scriptum, quod uere cantionem eius cygnam appellaueris, cum inter extremos eiusdem labores numerandum sit, tradere possim. Nimirum hoc erat, quod animo TVO, etiam cogitandum dabam, num hoc egregium ingenii doctrinaeque Bergerianae specimen, tot tantisque scriptorum eius amatoribus aestimatoribusque, inuidere uelles? Num etiam posses, summum, summorum uirorum, in TE studium, aeterna obliuionis nocte tegere

Memoria enim dignum est, duumuiros literatissimorum hominum, nostrae aetatis, facile principes, certatim quasi, TVAS uirtutes meritaque, praedicasse. Alter est, quem iam saepius iterumque nominare debui, Bergerus, et, cui Bergerus ipse, quod tacere non possum, saepius, publice, in scholis suis, palmam cessit, ut erat, in summa eruditione, modestissimus, Christianus Gottlieb Schwarzius, alter, immortale VESTRAE, quae Altdorfi floret, Academiae, immo, totius Musarum chori, decus, ambo, uno eodemque fere tempore, Musis erepti

Scilicet numi, cuius uberioverem Bergeri, in praesenti, expositionem, TIBI mitto, partis, quam auersam nominamus, inuentionem, Schwarzio debes. Itaque monumento, ad posteritatis recordationem insigni, tam numo, quam huius explicatione,

cum






cum TVI memoriam propagare studuerint hi, quorum, dum uiuebant, diuinas dotes, et amasti, et, tacita quadam ueneratione, semper es admiratus, aequum erat, ut, edendis bis ipsis illorum studiis, ipsorum quoque memoria conseruaretur

Atque ut de Schwarzii, erga TE, pietate, tribus uerbis, dicam, uidetur, nisi me omnia fallunt, uir summus, inscriptionem, inuentioni, in numo, additam, ex libris, qui ex officina Sebastiani Gryphii prodierunt, sumsisse. Hic enim, qui Lugduni, in Gallia, artem typographicam, magna contentione, illustriorem fecit, ipsam solertiam suam, symbolo, accommodato ad nominis sui origines, patefecit, quod libris suis, in fronte, apponere solebat. Utebatur, effigie Gryphis, qui, unguibus pedis dextri, saxum quadratum attolebat. Infra, pendeat orbis, seu sphaera, ad cuius partem utramque alae adfixae erant. Iam a dextra legebatur: VIRTUTE DVCE, a sinistra: COMITE FORTVNA \*

Neque est, quod putetur, aliquid profani, in hac similitudine, si quidem, ex mente auctoris, exprimitur. In primis uero, cum ex Schwarzii, Viri Christiani et pii, ingenio, in TVO numismate legitur, nihil minus, quam sanctam DEOque cbaram uitam, diuinamque excludit prouidentiam. Qui enim oraculis diuinis fidem dant, sine ulla dubitatione, id quod fortunae, ser-

moni.  
3  
\* Quo quidem symbolo insignitum asseruo rarum illum Sanchezii libellum, qui, ex filii Antonii Gryphii officina, est foras datus, hoc rubro: Franciscus Sanchez philosophus et medicus Doctor. Quod nihil scitur. Lugduni, apud Ant. Gryphium M. D. LXXXI. 8. Et hanc quidem huius scripti editionem intelligi debere, reor, cum hic libellus rarus dicatur quippe quae eiusdem prima est. Etenim, in uniuersam, uix inter raros referri potest, cum, iteratis uicibus, uaria forma, excusus sit



monibus nostris, tribuimus, ad *DEVM* referunt\*, nec, nisi illas uirtutes sanctas credunt, quarum fons est fides\*\* et quae, a gratia illa renouante, proficiscuntur †. Verum hoc ipsum, excellentissime, ab ipso etiam Bergero, in praesenti scripto, ita explicatur, tamque egregie explicatur, ut repetendae mihi gratiae sint, quod, impetrato tandem *TVO* consensu, omnibus elegantiorum literarum studiosis, hunc foetum Bergeri, in manus dare possim


Neque minori cultu eos habebis obstrictos, quod ipsis, per *TE*, legere licet, Bergeri testimonium, de *REIPUBLICAE NORIBERGENSIS* perpetuo, ipsique proprio, studio, omnem uirtutem, tantum ex merito, aestimandi, semperque crescente, per summam suorum procerum prudentiam, religionis, bonorum, prisca probitate atque integritate conformatorum, morum, artium et commerciorum, atque, ut paucis multa complectar, reipublicae sine exemplo perfectissimae, flore, adeo, ut huc dum, nomen, Franconiae oculi, *καθηλις* Germaniae, sedis artium et mercaturae, iure tueatur. Quibus laudibus iustis, ut ipsius gloria illustrior redditur, ita, *TVVS* etiam bonos, augetur, dum in republica, excelso loco, positum *TE* uidemus, quae, nonnisi summos, ad gubernacula, uiros, admonere solet

Deuincies tandem omnes *TIBI*, qui ita literis operam dant, ut, omnis sapientiae summam, artem moriendi discant, cum in hoc libello, ipsis, in fratre *TVO* beatissimo, exemplum discessus

\* Moses Historiar. S. L. II, 21, 13

\*\* D. Petrus Epist. II, 1, 5

† D. Paullus Epist. ad Roman. XII, 2




sus e uita religiosissimi, quam maxime neruosum, proponitur, adeo, ut iidem, qui TE, Maecenatem, posteris laudabunt, optimum, fratrem TVVM sint iis commendaturi, qui placide, et cum uoluptate, ex hac uita, in alteram, eamque meliorem, migrare uelint. Et, per DEum, cum fructu facient, si, in hoc eodem scripto, relatum legent, Bergerum ipsum, sibi, in illo, exemplum sumfisse, nec uerbis tantum, sed re ipsa, quod, ex eiusdem nouissimis sermonibus, in religionis Christianae honorem, illorumque pudorem, qui, apud plebem tantum, non uirum sapientem, solatia eius aliquid posse, iactant, apparet \*

Sed quando finis dicendi esset, si plura, apud TE, ipsum harum rerum arbitrum, de praestantia scripti Bergeriani, uerba facere uellem. Res ipsa loquetur

Igitur, summa ueneratione, maximaque gratiarum actione, iure, equidem, cui hunc libellum credidisti, reddo, dico, dedicoque, TIBI, in numisma, honori TVO, excusum, Bergeri commentarium

Excipe uero eundem simul interpretem summae meae erga TE pietatis ac reuerentiae, tot tantisque uirtutibus TVIS excitatae. Vellem, ut, ipse ego, digniora ornamentis TVIS, fauoreque, in me, TVO, dare hic TIBI passsem. At, certe persuasus sum, cum, inter ceteras uirtutes TVAS, etiam mansuetudo, quae gentis TVAE proprium decus est, maxime eluceat, fore, ut  
banc

\* Videatur: Honor supremus, Viro Summo, Abrahamo Vaterno, oratione funebri, in arcis aede, idibus Decembr. A. R. S. M. D. C. C. LI. rite habitus, ab Ioa-chimo Samuele Weickhmanno &c. concioni Hofmanni S. V. sacrae, in memori- am eiusdem uiri habitae, additus. Vitemb. 752. fol. p. 64



banc significationem animi mei, integerrimam, tantisper, accipias

Postremo, quod ingenio fluminique dicendi deest, uotorum sarciam religione. Qua permotus *DEVM* ueneror, ut, *TE*, *VIR EXCELLENTISSIME*, iis felicitatis generibus iubeat omnibus frui, quae, cunctis, fidei suae deditis, promisit. Alat igniculos pietatis, quibus ceteras dotes *TVAS*, non tam ornas, quam consecras. Foueat animi tranquillitatem, qua, eadem semper fronte, eodemque uultu, caduca ponis infra *TE* omnia. *CONIVGEM* tueatur, primariam matronam, praesidium senectutis *TVAE*, et grauitatis, humanitate conditae, exemplum. Consilia denique, patriae saluberrima, in quibus illud *Vlpiani*, prout religio suggerit, numquam non retines, fortunet, quo diutius, genti *TVAE* splendidissimae, uirtutis imaginem praeferas, inclytae reipublicae prospicias prudentia *TVA*, orbisque literati commoda proferas. Quibus *TE* faustis precationibus, sine intermissione, prosequetur

## PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

Scr. Vitembergae A. C. d. *LCCLX*  
*XIII* Calendarum Maii

obseruantissimus obsequentissimusque

*SAMVEL LVTHERVS GERET*

AD  
PERILLVSTREM VIRVM  
PAVLLVM IACOBVM DE MARPERGER  
EPISTOLA  
IOANNIS GVILIELMI DE BERGER  
SVPER  
NUMISMA NORICVM  
ILLIVS MEMORIAE ERGO  
EXCVSVM

AD  
FRIEDRICHUM VIIVM  
PAVIVM IACOBVM DE MANNBERG  
EPISTOLA  
IOANNIS GUILIELMI DE BERGER  
CIVIS  
HVMANISSIMA NORICVM  
ILLVS MEMORIALI ERGO  
EXCVSAM









uanquam TIBI,  
VIR PERILLVSTRIS,  
me uel ignotum omnino, uel leuiter cogni-  
tum, existimaueram, tanta tamen in me uteris  
humanitate, ut plurima me atque amantissima  
salute impertiaris

Hoc per eos facere soles, qui Noriber-  
gam Vitemberga profecti, famaue TVI no-  
minis exciti, nihil antiquius habent, quam ut  
TE conueniant officii causa, simul ac ciuitatem  
A 3 uestram

uestram inierint amplissimam. Videntur enim sibi adire Oraculum, non modo prudentiae ciuilis, ac iuris publici, sed etiam sapientiae ceterae, quae ex priscis omnis elegantiae fontibus hauritur

Itaque, sermonibus TVIS eruditissimis atque uberrimis replicatam sibi, uident, omnis antiquitatis, Germanicae praesertim, memoriam, maiorum instituta e tenebris ultimorum temporum eruta, bonos eorum mores bonis aliarum gentium, ipsis quoque Romanis, ut Cornelius Tacitus ipse quondam haud obscure indicauit, legibus saepe praefereudos, Imperii Romano-Germanici, ac potius, iure uictorum, Germanico-Romani, fata ex annalibus explicata, noua cum ueteribus collata, et illa ex his

non

non raro illustrata, aliarumque rerum commemorabilium uarietatem expositam, ac multo literarum exquisitiorum sale sparsam. Hoc eos doctrinae copiosae pabulo ita capis, ut TIBI se praebeant attentos, et audiendi discendique cupiditatem uix explere possint. Ea uero differens, cum antiquis recentia adiungis, ac de literis ingenisque aetatis nostrae existimas, indentidem mei facis mentionem, ut ualeam, quid agam, quaeris, me saluum salutatumque cupis, ut nihil sit egregiae uoluntatis, quod mihi, non iubeas, liberaliter abs TE sponderi

Hos etiam eosdem, quos mihi familiaritate coniunctos esse, audis, epulis lautioribus adhibes, TECUM in Tusculanum tuum ducis, liberaliter habes, plurium dierum hospitio tecum  
retines,


retinēs, et omni cumulas honore, his denique,  
comiter dimissis, negotium das mei peramanter  
salutandi

Haec, et alia, quae benigne facis, ab ami-  
cis, huc reuertentibus, nuntiata, omnis ego hu-  
manitatis expers sim, nisi me mirifica uoluptate  
compleant, eoque magis, quod cuncta mihi ac-  
cidunt improuisa sane nec opinata. Vt enim  
me totum excutiam, nihil tamen in me reperio,  
quod talem beneuolentiam singularem ulla rati-  
one prouocare possit. Nouum adiungis bene-  
ficium, idemque honorificum mihi, ac longe iu-  
cundissimum, quod tuis me literis honestas, ea-  
que re tuam mihi confirmas amicitiam, qua mi-  
hi nihil optatius esse possit. Proinde tempus  
gratiae, ullam in partem referendae, circumspi-  
cio,

cio, sed, quoniam abs TE interuallis locorum  
 seiungor, nullam mihi uideor eius rei gerendae  
 facultatem habiturus, nisi literis id mandem,  
 quod coram uerbis explicare non queam. Epi-  
 stola uero, etiamsi inuenerit, cui recte tradi pos-  
 sit, tamen aut legitur ab uno, ad quem perfer-  
 tur, aut si quando peruenit ad plures, hi qui-  
 dem pauciores sunt, aut facile, ut fit, e manibus  
 excidit, et apud eos, qui multis, grauioribus-  
 que, occupationibus distinentur, in eum forte  
 coniicitur locum, ubi, abdita, obsolescat. Ex  
 quo accidit, ut, quod ego sentio, quod cupio,  
 quod animo grato declarandum duco, perficere  
 non possim. At hoc demum peto, huc ani-  
 mum aduerto, hoc assequi studeo, ut, quantum  
 TIBI acceptum referam, quo in loco TVAM er-

B

ga



ga me benignitatem ponam, quanto eam prosequar honore, cunctis palam faciam, posteris quoque prodam

Restat ergo mihi homini, mecum et cum Musis habitanti, hoc unum, ut in eam rationem in aspectum lucemque proferendi alicuius monimenti, quod in oculos omnium incurrat, et, si quos forte sibi lectores conciliauerit, diutius aliquanto maneat, meumque officium, TIBI deuinctum, publice testificetur. Ecquando autem tale fecero ingenii monimentum, quo satis testari possim, quantopere TVAM erga me humanitatem eximiam tacitus colam. Nae diu mihi tempus hoc expectandum fuerit, cupiditas autem, qua flagro, meam in TE obseruantiam demonstrandi, reprimi diutius haud potest

Ne

---

 Ne nihil igitur huius officii praestem, ad TE iam mitto id, quod in manu est, paullatimque, ad aliquam minuti opusculi formam crevit

In eo reperies monumentum, quod honori, ac memoriae, Diui Fratris TVI, BERNARDI WALTHERI, MARPERGERI, positum est

Illustris huius Theologi, quondam in Saxonia nostrate dignitatis, atque auctoritatis, praecipuae, magna sunt claraque decora, quae multis multorum literis mandantur. Quoad enim hic plura, grauiissimaque, munera, primum apud Francos, qui spectant in Orientem, Noribergae, tum apud Saxones nostros, Dresenae, gessit, ingenio, scientia, eloquentia, prudentia, sanctimonia uitae scriptis etiam compluribus limatis-

B 2

que,

que, sic eluxit, ut eius memoria, usque ad hanc diem, domi forisque, in multa celebritate uersetur. Sed ea quae tot alii de illo honorifice ac magnifice praedicarunt, hoc loco cumulare nolo, ad haec potius tota mente conuersus, quae eiusdem extrema, ac mihi, testimoniis exploratioribus, cognita, fuerunt, quo maius ea pondus exempli commemorabilis habuerunt apud me



Itaque **MARPERGERI**, in aegrotando moriendoque, constantiam ad imitandum proposui, atque, attenta uirtutis huius, tam insignis, contemplatione, egomet ipse, non parum omnino, profeci. Eius rei cogitatio, in mente saepius agitata, me, in consilio opusculi huius, **TIBI** potissimum inscribendi, praecipue confirmat

Quan-



---

Quanto enim decori sit TIBI honos tanti Fra-  
 tris, animaduerto, quam constanter eundem,  
 usque ad supremum uitae spiritum, dilexeris,  
 haud ignoro. Quin etiam, quanto tenearis  
 eius desiderio, quam crebris eius memoriam ser-  
 monibus, multa cum caritate, usurpes, perfe-  
 runt ad me complures, qui TECUM uersati sunt.  
 Existimaui ergo, nostrum huius libelli munu-  
 sculum TIBI sordere haud posse, quod, si nul-  
 lam habeat commendationem aliam at Viri cer-  
 te tam Venerabilis, quem posteris audeo trade-  
 re, grata quadam ac memori praedicatione de-  
 coretur. Noli tamen angustiis harum pagella-  
 rum fines meae de TE opinionis metiri, quae ut  
 latissime pateat, amplitudo facit praestantium  
 atque immortalium TYORVM in Rempublicam  
 meritorum B 3 Quae




Quae quidem amplitudo qualis sit, Noribergenses, apud quos multa cum dignitate uiuis, optima fide me docent. Horum enim iudiciis, dici non potest, quantum tribuam, quorum, ego, Ciuitatem, multo splendidissimam, quondam, domo profectus Vindobonam, ut inde irem in Italiam, transii, quorum Senatum, longe Amplissimum, coram ita ueneratus sum, eius ut sapientiam satis admirari non potuerim, quorum in me humanitatem tum expertus sum tantam, ut eius, pro dignitate nunc praedicandae, nullam in me facultatem reperiam. Visus fane mihi sum, eas mente, magna ex parte, iam praecipere delicias, quas in Italia demum, fama mihi nuntiatas, expectassem. Versabar enim cum omni genere nobilissimorum, prudentissimorum,

---

morum, doctissimorumque, hominum, quorum moribus, studiis, sermonibus, scientia multiplici, omnique elegantia, non poteram non erudiri, summa cum animi uoluptate

Noribergam, scribit Ioannes Bodinus, homo Gallici nominis clarissimus, amplissimam, et fere principem, esse in Imperio Rempublicam, cuius Gubernatorum prudentiam totus terrarum Orbis admiretur. Haec ille, totidem uerbis. Quid autem de hoc Germaniae lumine praedicaturus esset, si Perillustrem hanc Rempublicam, tot nouis exornatam, atque exaggeratam, decoribus, aetate nostra uideret. Horum igitur Noribergensium, hominum tam praestantium, auctoritate, quid mirum, ego si non leuiter mouear

Namque



Namque hi, quid sentiant, de TE, in quo TE numero locoque ducant, tum aliis, frequentibus ac magnificis, declarant praeconiis, tum eleganti Numismate, nuper in honorem TVVM cuso


Cernitur in hoc, quod imaginem TVAM clypeatam exprimit, oris et uultus TVI habitus, in eoque grauitas, humanitate, condita, quasi spirat. Haec seueritatis cum facilitate societas uiris, non e multis, magno semper decori fuit, ut illi Pomponio Attico, illi Iulio Agricolae. Quin etiam comitas cum seueritate, mixta modestiae grauitas, oratores magnos, uixdum aspectos, nec dum auditos, mirifice solet commendare. Ex quo haud obscure colligitur, quantam oratio TVA, in rerum deliberationibus,

bus, suadendo dissuadendoque, valeat, quantum sermo **T V V S** auctoritatis ac suauitatis habeat in circulis, amicorum congressione, communitate omnis uitae. Fulget simul in oculis, ubi mens habitare dicitur, hic uigor, ut, ex ipsis oculorum luminibus, quantum ingenii lumen eluceat, nemini non appareat. Haec decora species est uiri, in luce oculisque ciuium, spectatu digni. Sed quanto maius, ac splendidius, est illud, quod in auersa Numi parte **T I B I** ascribitur, et assignatur ita, ut ingeniose multo plus sentiatur, quam dicatur: **V I R T V T E E T F O R T V N A**

Hac uirtute, ut res ipsa se aperit, Virtus quaedam Fortunata significatur. Qua quidem uirtute, in tractanda Republica gerendisque rebus, quid uel praeclarius esse potest,

**C**


uel



uel optatius. Pulcherrimo igitur iudicii testi-  
monio TIBI praeclarissimum datur id, quod  
paucis omnino solet usu uenire

Hac autem Noribergensium de TE senten-  
tia quid declarari tandem censeamus, quod, hoc  
potissimum tempore, ipso CAESARIS AV-  
GVSTI, FRANCISCI PRIMI, altissimo  
publicoque iudicio aperte non comprobetur.  
Hic enim, ut meritorum, publice spectatorum,  
summus est sanctissimusque Iudex, ita tam effu-  
sa in TE Gratia utitur, ut, quo cupidius TV,  
pro modestia semper TIBI solita, Benignita-  
tem, tam Augustam, ac Venerabilem et penitus  
insperatam, tacita modo, subiectissimaque, erga  
MAIESTATEM, TAM SACRAM, reue-  
rentia colere, laboras, hoc Eandem magis, ac  
latius,

latius, fama, ut fert eius consuetudo, in uulgus efferat, palamque celebret. Quae quidem cuncta quo notiora sunt, quo maiorem ea moderationi T V A E laudem pariunt, hoc minus necesse habeo, eadem illa pluribus, hoc loco, commemorare. Ecquis enim ignorat morem, quem IMPERATOR EXEMPLI SINGVLARIS seruare constantissime solet, Virtuti soli omnia, quae quidem munifice distribuat Ille, praemia tribuendi. Quid autem fortunatius dixeris, quam PRINCIPIS, in terrarum fastigio uni Deo secundi, excelsissima, ac sapientissima, approbatione ornari. Ex quo iam nemo erit tam iniustus rerum existimator, quin, illam Numismatis Norici, de uirtute fortunaque T V A, uocem ponderans, adeo harum neutram deside-



ret in TE, ut luculenter potius atque eximie  
 utramque ipsa insigni CAESARIS MAXI-  
 MI in TE indulgentia, illustrari confirmarique,  
 intelligat. Haec me res ad se, mente diligenter  
 agitandam, adducit. Nimirum sic recte uiui-  
 tur, recte agitur, recte cuncta procedunt, si uir-  
 tus dux uitae deligitur, eaque fortunam, suis  
 cuiusque moribus, fingit

De Virtute autem Fortunaque magna quae-  
 stio est inter mortales, ex eaque grauis existit  
 opinionum contentio, harum utra magis uidea-  
 tur expetenda

Sic enim natura sumus informati, ut,  
 cum sibi consultum quisque cupiat, hoc appetat  
 maxime, quod e re sua putet, praesensque ui-  
 deat,




deat, istud, contra, minus curet, quod longius  
absit, et dubia adhuc spe praecipendum uidea-  
tur. Nam uident, uirtutem laudari, et algere,  
ut ait ille. Audiunt, paupertatem sororem bo-  
nae mentis esse, ut alius loquitur. Dolent et-  
iam, saepe probos affligi atque opprimi, impro-  
bis florentibus atque exultantibus. Itaque du-  
bitatio impia ac pestifera multos incessit, quae  
prisca nouisque literis iactatur, utrum humana  
negotia Numine quodam agantur, an forte ac  
temere uoluantur. Adeo uirtuti obtrectatur,  
fortunae plauditur

Vt alios omittam, Timoleon, Corinthius,  
sine dubio magnus, omnium iudicio, habetur.  
Res magnificas gerit, humanarumque rerum,  
arbitratur, sine Deorum numine nihil agi. At

C 3

uero



uero cuncta, quae prospere cedunt, beneficio tribuit fortunae istius, quae fors fortuna dicitur antiqua superstitione, et Dea constituitur, actiones hominum, resque uniuersas, imperio suo regens

Hanc *αὐτοματίαν* nominat, huic domi suae sacellum condit, idque sanctissime colit. Sic, pernicioso mentis errore, Numen comminiscitur, cumque Deus sit unus, ueri praepotentisque Dei prouidentiam stolide euertit. Errat autem cum Siculis, apud quos uiuit, fortunam, ratus, cunctis hominum coeptis atque institutis imperare. Haec Epicureorum fuit sententia, sed a sanioribus explosa. Ex eadem insaniae schola prodeunt uoces istae temerariae, *τύραννος τύχη*, Casusque Magnus. Indidem peruulgatum

gatum istud, Vitam regit fortuna, non sapien-  
tia. Et, quasi fidem suam religiose obstringat,  
scriptor Belli Catilinarii, Profecto, inquit, fortu-  
na in omni re dominatur. Curtio item Fortu-  
na, omni ratione, potentior

Longe autem rectius opponitur a melio-  
ribus, Ordo Magni Numinis. Hoc ictu Casus  
ad casum datur. Ipse quidem consularis offi-  
ciorum doctor, cum, Marcum suum, instituit  
docere verissimum quodque atque optimum,  
tum, magnam, concedit quidem, vim esse in  
fortuna in utramque partem, uel secundas ad  
res, uel aduersas, cum prospero flatu eius uta-  
mur, ad exitus peruehi nos optatos, et, cum re-  
flarit, affligi

Ex

Ex quo intelligitur, quantas, ille vires fortunae det, ad res hominum, uoluntate sua temperandas. Prouidentiam tamen diuinam haud excludit, praesertim, cum eam, aliis in locis grauius aduersus Epicureos tueatur.

Itaque fortunam, cum probioribus, ponit in munere diuino, eoque magnitudinem Pompeii referens, hoc sentit, hoc asseuerat, quibusdam summis uiris, ad amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas, fortunam diuinitus adiungitur.

Sed, quoniam Romanis duplex est Fortuna, Bona, et Mala, ut illam Dei bonitati consentaneam putat, sic, istam Deo, iudicat, indignam. Stabat autem Ara Malae Fortunae, Esquiliis con-

secrata

secrata. At, perniciosis rebus, sacra constitui,  
Cicero, de Natura Deorum disputans, ferre  
non potest. Et, in altero de Legibus, omnia  
eiusmodi repudianda esse, sancit

Cum uulgo loquitur, ut Poetae solent, Ma-  
ro, Fortuna<sup>e</sup> potestatem dans rerum omnium.  
Homerus autem multo sapientius Fortunam  
nescire mauult, eamque, quod mirere, nus-  
quam, in utroque Poemate suo, Iliade et Odyf-  
sea, nominat, eo quidem Graeciae uocabulo,  
quo *τύχη*, domi bellique, celebratur

Soli autem Deo cuncta regenda committit,  
quem *Μοῖραν* dicit. Hoc Macrobius, et Io. Sa-  
risberiensis, dignum memoria iudicant, ex his

E poste-

posterior etiam, Homerum, ait, dedignatum,  
 nosse Fortunam. Quanquam Philosophi uete-  
 res Fortunam nominant, quam τύχην dictitant,  
 eam tamen negant, quicquam posse, et Proui-  
 dentiae ministram dant, ut accepimus a Macro-  
 bio. Bene illi, si loquuntur simpliciter ac prae-  
 cise, male, si cum decreto stoico, quo Fatum in-  
 ducunt

In hoc igitur de uirtute fortunaque iudicio,  
 qui sanae mentis sunt, primas dant uirtuti. Ex his  
 Romani, ad constituendum imperium suum, uir-  
 tutem, praedicant, et fortunam, contendisse.  
 Haec autem uirtus, etsi non simplici fortuna con-  
 flictata est, quo tamen maioribus calamitatibus  
 est approbata, eo pluris habita est, ut Roma-  
 na magnitudo in aduersis maxime uideretur ap-  
 pare

parere. Quanquam igitur homines magnos fortuna saepe deseruit, hi tamen fortunae uirtutem, ut bonum longe praestantius, anteferre soliti sunt, eiusque conscientia et gloria aegritudinem suam lenire. Ajax ille Sophocleus fortunam in se desiderat, sed, filium docens Euryfaten, ut uirtutem ei commendet, ceteris in rebus eum patris esse similem, cupit, ac neutiquam malum. Et Virgilianus armatusque, Aeneas, Ascanii sui oscula per galeam delibans, uti natum hunc suum instruat, Disci, iubet, Virtutem ex se uerumque, quem praestet ipse, laborem, Fortunam, meliorem uidelicet, quam ipse habuerit, ex aliis

Ita patres magni, qui fortunam non habent fautricem, filiis optant illam quidem, sed, eos,

E 2

fatius

fatius ducunt, uirtute, quam fortuna, eminere.  
 Hoc idem omni tempore sentiendum esse, inter  
 omnes conuenit, qui praestantiam uirtutis per-  
 spiciunt. Nam uirtus in honesto sita est, hone-  
 stum fontes aperit, a quibus officia uitae ducun-  
 tur. Officiis his seruandis, actiones existunt,  
 quibus uirtus ipsa praestatur. Ita nihil in uita  
 praeclarum est, uirtute quod uacet. Sed uir-  
 tus indole sua constituenda est, non hominum  
 opinione. Haec enim uirtutem ponit in eis,  
 quae finibus bonorum et malorum, a quolibet  
 sibi delectis, congruunt

At potest, in horum delectu finium offendi,  
 ut fit in familiis Sapientum inter se dissidenti-  
 bus, ubi miram uideas repugnantiam maxima-  
 rum rerum. Virtus autem ipsa est habitus ani-  
 mi,



mi, rationi consentaneus, quae insitam naturae Legem ostendit. Huic enim legi quod fit conuenienter, id demum cum uirtute coniunctum censetur

Saepe tamen homines, ut in fortunae, sic in uirtutis ipsius, intelligentia grauiter errarunt. Munus enim fortunae diuinum iudicarunt, ut ceterarum rerum externarum, uirtutem autem homini ab ipso petendam duxerunt. Cotta quidem Tullianus iste, Hoc, inquit, omnes mortales sic habent, externas commoditates, uineta, prosperitatemque uitae, a Diis se habere, uirtutem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum recte. Recte uero. immo superbe, stulte, impie. Quanto melius Salomo, cui Deus optationem rerum dederat expetendarum, pueri-

tiae suae, quae imperii non feruendo sit oneri, sa-  
 pientiam regundi populi, bonumque a malo di-  
 scernendi, exoptat. Ac Deus quidem, *Quoni-*  
*am*, inquit, *tu illud petiisti, neque extentum ui-*  
*tae spatium, non diuitias, non hostium tuorum*  
*necem, sed prudentiam, ad discernenda iura, po-*  
*stulasti, scito tu quidem, me tibi non solum po-*  
*stulata concedere, tantamque mentis sapienti-*  
*am atque prudentiam conferre, ut tibi par ne-*  
*mo neque ante te fuerit, neque post te futurus*  
*sit, sed etiam, quae non orasti, daturum esse, opes*  
*dico, et gloriam tantam, ut Regum nullus tibi,*  
*dum uiues, sit comparandus.* Audimus iam,  
 atque cognoscimus, quid melius sit. Videmus  
 iudicium ipsius Dei. Hic, cuncta, quae nume-  
 rantur in bonis, sita in manu sua, ostendit, his  
 tamen

tamen uirtutem adeo praefert, ut hanc si largitus sit, fortunae ei adiiciendae leuius putet munus suum, huiusque, ab se impetrandi spem, non dubiam, sui diligentibus simul ostendat

At idem, quem nominauimus, Cotta, Propter uirtutem, inquit, iure laudamur, et in uirtute recte gloriamur. Laudamur uero propter uirtutem, sed a Deo nobis datam, non ex nobis natam, eoque minus uirtute, tanquam bono, nostris uiribus parto, gloriari possimus

Quanto uerius gentium Doct̄or diuinus, *Quid habes, inquit, quod non accepisti. Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Ergo, qui gloriatur, in Domino gloriatur, ut idem ait alio loco*

Quan-

Quantum porro sibi indulget idem Cotta, ad cuius opinionem, iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Velisne autem in homines referre Socratem, ac Platonem. In diuinos quoque, credo, si Ciceronem audias. Atqui Socrati, eiusque discipulo atque interpreti, Platoni, in Menone extremo, diuino quodam numine, uirtus eis, quibus accedit, accedere uidetur. Num Pythagoram censeas in hominibus, qui Deus etiam a multis habitus est. Hic autem familiares suos docere solitus est, Deum, in bonis actionibus, ducem esse hominibus oportere. Et Sextus Pythagoreus, in omni, quod bene agatur, auctorem esse Deum, ac mentem Sapientis inhabitari a Deo

Fertur

Fertur Dialogus inter opera Platonis, inscriptus de Virtute, quem Platonis familia summouent, et Suidas Aeschini ascribit. In eo neque natura, nec arte, dicitur bonus uir fieri, sed ope diuina. Quid multa. Breues, sed necessarias, preces Poeta docet, ut sit mens sana, orans, in corpore sano. Tanta est reclamantium, prius in literis, turba, ut, ea facile Velleii Tulliani licentia obruatur. Quamquam ne ipsi quidem ueteres, e Porticu praesertim, sapientes, cum usque eo ambitiose loquuntur, ut suis ad fastigium Sapientiae uiribus eniti uelle uideantur, diuinum auxilium excludunt, sed hoc ipsum, ad uirtutem consequendam, necessarium existimant. Bonam mentem, statuunt modo, ab se ipsis impetrari, qui, sua quidem sententia, tam

F

faci-

facilem habeant Deum, ut ab eo, precantes  
 ipsi, facile audiantur, quando hic prope sit ab  
 iis, quando cum iis sit, intus sit. Stultum est, in-  
 quit Seneca, optare bonam mentem, cum possis  
 a te impetrare. Sed idem alio loco melius, Bo-  
 nus uir, inquit, sine Deo nemo est. An potest  
 aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsur-  
 gere. Ille dat magnifica consilia, et erecta.  
 Haec Annaeus. At uero idem ignorationem  
 ueri Dei imprudenter turpiterque prodit. Mox  
 enim, In unoquoque, ait, uirorum bonorum,  
*quis Deus, incertum est*, habitat Deus. A Deo  
 igitur uirtutis donum petit, ab eoque impe-  
 trat, sed, qualis sit hic Deus, ignorat. Adeo  
 procliue quondam fuit, nocte superstitionis of-  
 fusa, non solum in iudicio uirtutis, sed etiam in  
 auctore eius, labi

Sed

Sed, quoniam uirtutis est agere, bene autem consulta male possunt cedere, nisi iuuentur auspicio diuino, huius in primis praesidio, in agendo, opus est. Atque haec quidem illa est fortuna bona, cuius nomen habet in ore superstitio uetus, eius ui penitus ignorata. Melius autem atque sanctius edocti, nihil de fortuna praedicant, quod a Deo seiunctum sit ullo modo. Fortunam enim dicunt nutum uoluntatis diuinae, qua res mortalium in utramque partem eueniunt. Minucius Felix, Quid aliud est, inquit, Fatum, quam quod de utroque nostrum fatus est Deus, Cap. 36.

Itaque Fortuna, cum praepotentem habeat eundem auctorem, ea quidem patet iam, qua ipsa, quae res mortalium moderatur, Prouiden-

tia diuina. Deo enim omnis fati rectore, cunctis quidem hominum rebus, publicis priuatisque, fortuna praeest, in magnis tamen praecipue imperiis conspiciendam se praebet.

Consideretur Statua illa Gigantea, quam Daniel, uates diuinus, posteris prodit, et probi eam, non ingeniorum libidine, ut fit a nonnullis, sed multa erga diuinam auctoritatem reuerentia, pendunt. Caput autem primum signat magnum Orbis imperium, quod Chaldaei et Assyrii tenuerunt. Pectus argenteum ostendit Imperium Persicum, Venter aeneus, Alexandri regnum, siue Graecum. Femora Romanos significant. Atque hanc quidem regnorum ingentium seriem Deus praedixit grauissimis de causis. Ex pluribus unam attingo, sed omnino magnam.

Voluit



Voluit enim Deus, sciri, genus humanum diuino regi confilio, non casu, et regna casu neque exoriri, neque occidere. Ex quo Prouidentiae diuinae potestas apparet. At haec Prouidentia, quae cunctis rebus praesidet, fortunam constituit, qua populorum imperia crescant, florent, senescant, postremo intereant. Quae quidem fortuna affuit Cyro, cum Chaldaeos euertisset, Alexandro M. cum Persas, Romanis, cum Graecos. Ac Cyrum quidem, admirabile est, rebus excellenter gerendis ita destinari diuinitus, ut ipsum eius nomen, sacri uatis, Esaiiae, oraculo proditum, ederetur multo ante, quam ipse nasceretur, id est, ducentis et decem annis, si Iosephum audimus. De se nondum nato, quid, praedictum sit, Cyrus ipse Diplomate suo

huic

F 3



pro-

profitetur, quod, diuinis annalibus, insertum, Iosephus idem laudat, et copiosius enarrat. Cyrus autem, ex genitura sua, tanquam diuina sorte quadam genitus, quiddam supra hominem quod sit, in se reperit, ut Herodotus scribit, agendarumque rerum nihil, in magnis paruisque, auspiciatur, nisi Deum ueneratus, ut Xenophon tradit. Itaque tanta utitur aduersus hostes felicitate, ut, quibus arma gentibus intulerat, his nulla daretur facultas euadendi, Herodoto teste. Ex quo elucet fortuna mirabilis, quam Cyro Numen coeleste, ad frangendas atque consumendas opes Babylonicas, largitur. Huic autem Deus ipse, ut aput Esaiam dicitur, portas ac ianuas aperit, thesaurosque abditos praebet, quos in opulentis Asiae deuictae spoliis

apud

apud Plinium, in tertio et tricesimo, haud in-  
commode quaeras

Nec uero minus Alexander Magnus in  
fortunatis huius modi ducibus ac Regibus est  
habendus, eoque haud mirandum, si iuuenis  
peragit ea, quae fidem uideantur excedere.  
Est enim Hircus ille fatalis, qui cornua Ari-  
etis Persici comminuit, et cernitur in ui-  
so Danielis. Hunc Genius coelestis interpre-  
tatur Regem Graeciae, qualis Regia dignita-  
te fuit, ex quo Dux Graeciae, Corinthi, in  
conuentu totius Graeciae, delectus est. Hirci  
enim appellatio bene conuenit in Reges Grae-  
ciae, quorum insigne quondam Hircus expref-  
sit, eiusque Alexandrum adeo non puduit, ut Io-  
uis Ammonis cornua sumeret, quod stirpem  
suam



suam ad eum referret auctorem. Itaque Cornutus spectatur in Numismatis antiquis, Gemmis etiam, aliisque monumentis. Ipsi quidem ueteres, qui res Alexandri componunt, Arrianus in primis, diuinum quiddam in eius rebus inueniunt. Sed hoc alii in uirtute, alii in fortuna, ponunt. Plutarchus enim, diu multumque de Alexandro disputans, ad extremum tribuit ei maius uirtutis, quam fortunae, robur. Quintus autem Curtius, Alexandri bonis malisque diiudicatis, contendit, quanquam Alexander plurimum uirtuti debuerit, eundem tamen fortunae plus debuisse. hanc, ait, illum, ex omnibus mortalibus unum, in potestate habuisse. Habuit uero, sed ea Numinis ui arcana, quam uisum Oraculumque Danielis exponit

Hunc

misit.


---

Hunc autem Consilii diuini recessum quod scriptores, sacrae lucis expertes, perspicere non possunt, hi propterea, diuini quid habeant res Alexandri, nesciunt. Haec nimirum singularis est illa Heroum fortuna, quam Numen, in posterum longe prospiciens, hominibus eximiis attribuit, ad conficiendas res inusitatas. Sed eadem Dei sapientia, regens cuncta, aliis prouidet singulis, communemque omnis fortunae ostendit fontem, unde profluat in mortales, quicquid censeatur prosperum. Hanc nutus diuini bonitatem, potentiam, opem rebus humanis inuigilantem, ac subuenientem, quis est, qui agnoscere, reuereri, expetere, nolit

Huic TE, VIR PERILLVSTRIS,  
fortunae, cuius ad gubernacula Deus sedet, pie

G

ac



ac sapienter committis, ab hac secundos rerum  
 euentus recte expectas, amploque cumulatus  
 fructu copiarum affluentium, res, quas suscipis,  
 bene geris. Sed nihil, quod feliciter admini-  
 stras, uirtuti TVAE, nihil gloriae, tribuis, cur-  
 sta, quibus amplificaris, propitio Numini refers  
 accepta. Hoc uident, qui TE norunt, hoc in-  
 telligunt, qui Fortunam, inceptorum TVORVM  
*Comitem*, animaduertunt, hunc uitae rerum-  
 que TVARVM cursum aliis imitandum tenen-  
 dumque proponunt

Ipsa tamen uirtus TVA haud otiaitur, haud  
 latet, sed, operosa semper, in omnes uitae par-  
 tes latissime manat, in pulcherrimis maxime la-  
 borum honorumque perfunctionibus splendet.  
 Sic uiuis in oculis ciuium, quorum saluti opti-

me

me consulis, magnumque animi, magnum uitae,  
 decus ostendis, uirtutem, actionum TVARVM  
 ducem, ac moderatricem, ubique, et assidue,  
 secutus

Ac prudentiam quidem consiliis factisque  
 adhibes, nihil in consultando probans quod  
 praeceps immaturumque sit, nihil in agendo, ni-  
 si rectum, ingenuum, ad communem potius utili-  
 tatem pertinens, quam ad TVAM. Sic, eum se, con-  
 uenit, tractare, qui totum se tradat Reipublicae,  
 qui, huius bono se natum, uelit, eaque re nihil  
 in patria gloriosius ducat, ut Cicero de Bruto iu-  
 dicat. Iustitiae studium eo sanctius colis, quo  
 magis eius dignitatem praestantiamque perspe-  
 ctam habes. Nam diuini humanique iuris fon-  
 tes praecipua TIBI cura delegisti, hos summa

G 2

per-

perquisiisti diligentia, hos auide combibisti, ex his eas hausisti doctrinas uberrimas, quibus fas aequumque constituitur, suum cuique conseruatur, nec modo ciuitatis, sed ipsius etiam societatis, inter homines tuendae, uincula continentur. Excussisti gentium, bene moratarum, leges, instituta, mores, seligens ex eis, atque decerpens, meliora, quibus, tanquam copiis atque opibus instrueres scientiae TVAE fundum. Hinc parata TIBI facultas acute, et celeriter, perspiciendi, quid in quaque caussa uerum sit, nec modo auctorum clarorum iudicia scienter ponderandi, sed ipsam etiam, auctoritatem ratione pendendi, ueritatemque limandi in iudicando. Quo fit, ut, adhibitus in consilium, pari facilitate priuatas publicasque causas disceptes. Iuris enim  
publi-



---

publici, praesertim Germanici, intelligentiam in  
numerato habes, hoc quidem certiozem atque  
exploratiozem, quod eam non e commentariis  
Rhapsodorum, sterilibus saepe atque mendosis,  
depromis, sed ex ipsis Imperii Tabulis, sanctiori-  
busque Literis, TIBI studiose comparasti, in  
multis, et apparatissimis, Procerum Tabulariis,  
diu multumque uersatus. Hanc adire Corin-  
thum quoniam cuius haud licet, propterea  
multi, Taborem, huiusque similes, doctores non  
optimos, secuti, ius Quiritium cum Germanico  
inscienter confundunt, nec leuiter in consocian-  
dis rebus, inter se diuersis, errant. Nam, qui  
ueterem Legem Regiam Germaniae dant; hi  
seruitutem Romanam, rem maxime diuersam,  
cum libertate auita copulant, qui statum patriae


temperatum Germaniae adimunt, hi quanta Proceribus iura detrahant, non uident. Haec, et huius generis alia, quis ad Rempublicam nostram, TE, melius accommodet, quis ergo eadem melius doceat

Qui multis magnisque negotiis distinguuntur, his quidem opus est magnitudine animi, his constantia, ut, quod administrandum est, sine mora agatur, sine languore finiatur. Ergo nulli parcitur labori, nullae generis ullius molestiae recusantur. Neque enim rerum ostentatio dictis, sed actio factis, uirum probat. Nec uero, quid efficere uoluerit quisque, sed quid effecerit, considerari solet. Itaque, cum tot sustineas tantaque Reipublicae negotia, quis fortius ea suscipit, quis acrius ea gerit, quis eadem  
feli-

feliciter absoluit. Mutos enim laboris grauitas  
 frangit, TE gloria rei bene gestae erigit. Haec  
 uirtutis TVAE nobilis, ac generosa, exercitatio  
 clarius, ac latius, exsplendescit, et, multis mag-  
 nisque rebus cognita, prudentissimi cuiusque ap-  
 probationem mouet, eiusque fama perfertur in  
 Aulas, et Principum iudicia TIBI conciliat. Itaque  
 magnorum illustriumque Ordinum tantam inis-  
 gratiam, ut ex his plures TVIS uti consiliis cupi-  
 ant. Haec sapienter capi, bene succedere, cum  
 uident, TE sibi Consiliarium legunt, TE multis  
 prudentiae, multis industriae, praemiis ornant

Sic uirtuti TVAE, multis rerum argumen-  
 tis comprobatae, fortuna, quae fortes adiuuat, re-  
 spondet, eamque nouis ornamentis quotidie ma-  
 gis ac magis auget. His amplificas nomen TV-

VM,



VM, his exuscitaris ad agendum strenue, ad serui-  
 endum Reipublicae diligenter, et quanquam eos  
 habes annos, iam natu grandior, meritorum prae-  
 fertim auctoritate adeo clarus, ut aetatis uaca-  
 tione possis uti, eius tamen nihil desideras. Nam  
 quietem aliis remissioribus relinquis, ipse tantum  
 retines animi robur, tantam uirium neruorum-  
 que contentionem, ut labore nutriri, et habere  
 quietem in labore, uidearis, quod Seneca refert  
 ad generosos animos. Sic, ab honestate uirili  
 remotum ponens, timere sudorem, illud pru-  
 dentiae monitum tenes, quibus dignitas artibus  
 parta sit, eisdem eam impigre tuendam

Habet fortuna, florentior praesertim, magnam  
 in mores hominum uim, multas affert offensiones  
 humanae uitae. Res enim prospere in istis, qui,  
casibus

casibus aduersis nondum eruditi, mortalis conditionis imbecillitatem minus attendunt, tantam efficiunt uarietatem, ut mirabiliter in eis animum, mores, uictum cultumque, mutant. Hinc superbia, fastidium, arrogantia, et aliae labe, quibus saepe contaminantur, qui paullo ante, rebus artis, emendatissimi uidebantur. At TVA TE sapientia, qua tanquam in gyrum rationis ac doctrinae duci soles, alia cuncta docet, ut illud salubre ac frugiferum noscas, quod pertinet ad bene beateque uiuendum. Semper enim in promptu habes, quid homini in utramque partem accidere possit. Idcirco praeclarum putas, aequabilitatem in omni uita seruare, ut idem sit uultus, eademque frons, ut in Socrate Graeci, item in C. Laelio, Romani, laudant. Hoc au-

H

tem

tem continentia efficis animi, quem ita componis, ut appetitus rationi obediant, sintque sedati, et omni perturbatione uacent. Ex quo elucet moderatio constantiaque singularis. Nunquam enim, uel secundissimis in rebus, elatius te geris, nunquam fastidis, quos fortuna uides offensos, nunquam TIBI sumis, quod ullius TE immodestiae arguat. Contra ea, uniuersis magna TE praebes humanitate, qui ad TE grauioribus, leuioribusue, de causis, intempestiue etiam, grauiterque occupatum, adeunt, non minore comitate eis, qui opem consilii TVI petunt, pari denique istis mansuetudine, a quibus etiam laesus sis, ut saepe bonis iustisque uiris euenire consuevit in rebus, fideliter procurandis. Nam, placabilitate, nihil laudabilius, nihil magno et  
 praecla-

praeclaro uiro dignius, iudicas. Difficile autem dictu est quanta sermonis affabilitate in omnium, quibuscum agis, animos influas, eosque capias ac teneas, amplitudini atque auctoritati TVAE nihil propterea decedere, ratus, quod, in consulendo opitulandoque, uel infimis TE communem ostendas

Quid loquar uirtutes alias, in quibus tantum possides uitae quasi ornatum, ut cum ornatissimis atque optimis, certare possis. Has longius prosequi nolo, ut modestiae TVAE parcam, quae in alios effusa solet esse, in se nimium restricta. Vnam, pace quidem TVA, attigerim, aetati TVAE aptissimam, magnumque huius ornamentum. Senilem dico uitae prudentiam. Hanc, audio, praecipua laude ferri ab illis, qui

H 2

cogni-

cognitas habent res TVAS, ac saepe domesticis  
 interfunt. Admirantur enim in primis, in hac  
 prudentia, non modo laboris tolerantiam, sed  
 eius etiam appetentiam, ordinem actionum, tem-  
 perantiam in omni uita, delectum in studiis.  
 Habes quidem aetatis, prouectae tam longe, ut  
 haec in commendatione perpetua ante actae ui-  
 tae iam pridem acquiescere potuerit, excusatio-  
 nem, quam iure optimo ab Republica postula-  
 ueris, nemine recusante. Sed ea TE, negas, ui-  
 gente adhuc animo, nec egere, neque delectari,  
 ut dictum est. Satius enim existimas, ne uiue-  
 re quidem, quam uiuentem nihil, aut parum,  
 agere, et, abhorrens ab honore superiorum tem-  
 porum, putas, nunc demum, cum propius sit  
 peruentum ad calcem, in pristino laudis cursu  
 defi-



deficere, languori ac desidia dedentem sese, qui non minore semper studio cucurrerit stadium, quam e carceribus eius sit euectus. Probas id potius, quod M. Tullius docet, senibus labores minuendos quidem illos, sed exercitationes animi etiam augendas, ut Respublica maxime eorum consilio prudentiaque adiuuetur quam plurimum. Itaque nemini, ad TE qui recipere se uelit, deesse soles, uel in iure cauendo, uel in consiliis dandis, uel alia quadam opera, quotiescunque indigentibus subuenire possis. Haec enim res tantae TIBI est uoluptati, ut gratificandi studium, quod saepe rogantium frequentia, et licentia, benignos etiam defatigat, multas TIBI, ad aliis commodandum nato, uitae molestias abstergat. Rarum hoc est in senectute,

H 3

occu-

occupata praesertim, quae morositatis, uel in sapientissimis saepe, argui solet, eiusque rei naturales, nec leues ideo, causas habet

At uero TIBI, coelesti quodam dono, matrimonium contigit, quod, laetitia sua, quamlibet mariti solliciti frontem exporrigere, quod hilaritate sua, quamlibet acerbitatem domesticam, temporum quoque tristitiam, condire, possit. Hoc enim matrimonium, uti plures mihi referunt, dicere soles delicias TVAS, omnis uitae oblectamentum, omnium curarum laborumque leuamentum. Quid enim decoris sui sinceri exquisiti-que, protulerit sexus elegantior, quo tandem glorietur honesto tam optabili, quin hoc idem TVA, SYBILLA BARBARA, ORTU DOEBRICHIANA, sine uanitate possideat. Pulchra sine fuce,

locu-

locuples sine auaritia, comis sine dolo, tantam marito reuerentiam praestans, ut ipsa simul, sicut illa Macrini Romana, summam mereatur. Tanta praeterea prudentiae, ut, quibus feminae rebus subitis exterreri solent, his illa consilium praesens constantiamque opponat. Facundiae etiam tam promptae, tam aptae, ut habeat facultatem, sollicitudinem quamque grauissimam cohortatione sua leniendi. Videare tu quidem cum Calpurnia quadam Pliniana uiuere, quae desiderio torqueatur absentis mariti, occurrat reuertenti, aduenientem amplexetur, omnique suauitate recreet. Eadem, non aetatem uiri, aut corpus, quae paullatim occidunt, sed gloriam, diligit. Haec ex Plinio, familiari

TV O, nosti, illud autem, e Sidonio Apollinari,

Cal-

Calpurniam legenti Plinio, ac meditati, candelas, et candelabrum, tenuisse. Ea enim studium amat literarum, quod ex mariti caritate concipit, ac libellos eius ediscit, eos etiam in illius uestigio saepe collocat, ut domi solatium habeat eius absentis. Haec legimus de Calpurnia, et miramur. Sed nihilo minora in Vxore TVΛ, TVI ac politioris eruditionis amantissima, cognoscunt omnes, atque admirantur, quibus ad eam uisendam aditus patet. Quid illa in omni domo TVΛ, Museo praesertim TVO, non curat diligenter, non disponit accurate, ut nihil usui TVO non instructum paratumque sit. An illa, cum res maior, celeriterque conficienda, librorum adminicula poscit, TIBI, seuere commentanti, lumen non porrigat, non tendat, quocunque uelis, quae  
lumine

lumine ingenii tvi tantopere et fulgere gaudeat,  
 et eodem quotidie magis exsplendescere gestiat.  
 Vnde cupidius enim, quam ex nomine famaue  
 TVA, gloriam sibi quaerit

Hoc nimirum decet in primis, hoc maxi-  
 me delectat, feminam primariam, quae connu-  
 bium honorati atque docti uiri, non solum pari,  
 ac praedicatur de Calpurnia Pliniana, frugalita-  
 te, sed etiam consimili doctrinae suae studio ex-  
 ornet Plin. lib. 4. Ep. 19. Quid enim edit Hi-  
 storia, tam clarum memorandumque, quod illam  
 fugiat, quid scientia Numismatum tam alte re-  
 condit, quod illa non exquirat. Alia taceo, quae  
 eius ex sermonibus percipi rectius, quam a me  
 recenseri, possunt. Haec autem uis est talis acumi-  
 nis, quale Plinius in Calpurnia, ut summum, lau-  
 dat

dat, sed cui par adhuc in MARPERGERA uiget. Igitur, a tali uitae socia qualem capias molestiarum taediorumque leuationem, quam grande solatium omnis uitae, fatis apparet

Magnum est in rebus humanis beneficium ordinis, magnum ab ordine adiumentum manat in actiones hominum. Ordinis enim diligentia obseruantiaque fit, ut cuncta sint inter se nexa, et accommodata, ad facilitatem agendi ubique expediendam. Non mediocris ergo decor aetatis ingrauescentis est in ordine bono, ut deliberata sint, quae suscipiuntur, ut causis suis ponderata, quae geruntur, ut directa ad instituti finem, quae perficiuntur. Sed, quoniam animi conformatio actionum uarietatem efficit, omnis huius sapientiae fons, atque fundamentum,

tum, est in mente composita, quae consistit se-  
cumque moratur, rationi obtemperans, appeti-  
tum ratione coercens. Itaque prudentia, quae  
senem deceat, circumspecta, placida, ordinata  
amplectitur, inconsulta, turbulenta, incomposi-  
ta, repellit.

Hic mentis TVAE status est, haec institu-  
tio cogitationum, haec inductio animi, haec ui-  
tae TVAE consuetudo. Quae cum altius cogi-  
to, his ego uideo cunctis ordinem praeesse, or-  
dini autem rerum delectum subseruire. Ex eis  
enim, quae curanda sunt, publica priuatis, ne-  
cessaria utilibus, magna paruis, anteponis. Nec  
uero parua contemnis, sed, ex his magna saepe,  
nisi mature prouideatur, oriri, per tot omnis ex-  
empli documenta, ex historia, quam optimam


prudentiae scholam habes, commonitus memi-  
nisti

Cum autem, in hoc praeclarum mentis  
compositae studium intentus, nihil immoderati,  
nihil, quod dedeceat, appetis, huic τ v quidem  
studes ordinis conseruationi, quam Graeci *εὐτα-  
ξίαν* nominant. Notari, uolunt, disciplinam  
quandam, ac uerecundiam, suo sese ordine ac lo-  
co continendi, neque aspirantem altius, neque  
latius, euagantem. Sic in statione tranquilla τ e  
collocas, τ v i modum habens, τ e regis ipse, et,  
per eam animi compositionem, τ e ostendis di-  
gnum loco quodam praecipuo, et, quanquam iam  
tenes per amplum, semper tamen dignus ampli-  
ore iudicaris. At uero huic moderationi ad-  
iungis haud minus uitae decus, elegantiam il-  
lam,




lam, ac prudentiam, de qua dixi, omnia ordine ac tempestiue faciendi, ut nihil perturbate fiat, nihil alieno uel tempore, uel loco. Ita talem adhibes actionum descriptionem, qualem M. Tullius, filio suo, commendat, ut, quem ad modum in oratione constanti, sic in uita, omnia sint apta inter se, et conuenientia. Ea re sublimem probas animum Sapientis, modestum, et uenerabilem, et dispositum, quem Seneca superiori parti comparat mundi, et ordinatiori, et propinquae sideribus, quae nec in nubem cogatur, neque in tempestatem impellatur, nec uersetur in turbinem, omni tumultu careat, inferioribus quamlibet fulminantibus

Tali aspectu coeli Plinius Caecilius ad praestans uiuendi genus informatur, quem, ut cer-


 tus siderum cursus, sic uita hominum disposita,  
 delectat, senum praesertim. Et, quoniam sibi  
 uidetur hanc regulam, constantissime seruata,  
 in Spurrinna reperisse, huius ex hospitio tantam  
 uoluptatem capit, ut, si modo senescere datum  
 fit, neminem magis in senectute aemulari uelit.  
 Hac TIBI nihil opus est imitatione, qui non so-  
 lum iudicio TVO, sed exemplo etiam, demon-  
 stres, in senectutem conuenire sedata, distincta,  
 apte digesta, eoque magis in hanc decore graui-  
 terque uiuendi curam incumbas

Succedunt apud TE negotia negotiis,  
 quae tamen cum TE non reperiant imparatum,  
 tum uero nec imprudentem opprimunt, neque  
 languescentem debilitant. Es enim dispositus,  
 acer, qualem Plinius Saluium Liberalem laudat.

Ac


 Ac prius quidem, quam agendum sit, consilia, TE,  
 TVAQUE, disponis, quod etsi necessarium est, pau-  
 corum tamen esse, Seneca docet. Tantum ordo  
 actionum apud TE ualet. Haec autem agendi  
 institutio, ratione disposita, ubi cernitur, mon-  
 strat sane quid huiusmodi, quod latius pateat.  
 Habet enim facultatem ordinandi, et instruen-  
 di, uitam omnem, eiusque cursum iudicio atque  
 consilio gubernandi. Itaque Mutianus ille,  
 quem memorat Cornelius Tacitus, Vespasiano  
 praefertur, quod elegantior, et diligentior, est  
 dispositione et ordine omnium, quae agit, et  
 circa se habet

Haec iudicii TVI circumscriptio est, quae,  
 rationi, loco, tempori, consentanea, ex rebus,  
 TIBI oblatis, eligit, ut, assidua recti, honesti, de-  
 cori-

corique, custodia, cum dignitate liberalis quaedam species appareat. Hac uitae elegantia Pomponius Atticus prudentiae senilis laudem, et magna commoda fortunae, consecutus est, hac ciuitatis principes cepit, eademque TV summos TIBI infimosque coniungis. Nihilo minus enim, quam Zeno ille Liuianus, cum beneuolentia auctoritatem, ob eleganter actam uitam, adipisceris apud omnes, quibus recte cognitus es

Quid dicam de temperantia, illa libidinum inimica. Hac grauitatem Sapientis demonstras, quae non modo ex uultu eminet, sed etiam ex omni uitae TVAE instituto elucet. Tanta uteris rerum omnium moderatione, ut, cum, pro facultatibus TVIS, multo lautius uiuere possis, cuncta tamen ad mediocritatem reuocet.

ces.

ces. Qua re, in uictu cultuque, cum Tito illo, munditiem affectas, sed haud affluentem. Repudias enim splendorem omnem, qui recedat a persona uiri grauis, et ullam leuitatis suspicionem praebeat. Hanc TIBI legem temperantiae das, hanc continentiae, uti nullos probes animi motus, a naturae statu qui discedant. Sic ueram exerces animi magnificentiam, eaque sapiens esse, quam uideri, mauis. Ergo temperantiam habes non modo ceterarum uirtutum TVARVM comitem familiarissimam, sed earum etiam commendatricem perpetuam. Nam TIBI quo pulchrius omni temperas in re, hoc TE minus ullam in partem effundis. Ex hoc sobriae mentis studio multos percipis magnosque fructus, ut uis mentis uigeat, ut corporis uires alantur, nerui-

K

que

que confirmentur, ut, animo alacri, ualetudine  
 comoda, multis multorum generum negotiis  
 sufficere possis


Quantum denique ornamentum capis a  
 studiis optimis ac nobilissimis, quibus a puero  
 TE tradidisti, quibus excultus, ad Rempublicam  
 accessisti, atque egregiam huic diutinamque  
 operam nauasti. Tanto quoque rerum graui-  
 simarum subactus es usu, ut in negotiis publicis,  
 nihil uel obscuritatis, uel difficultatis, ante ocu-  
 los obuersetur, quod confestim uel acie mentis  
 perspicere, uel prudentia expedire, non possis.  
 Qua propter fatis omnino superque uidearis di-  
 didisse, uel disciplina, uel exercitatione, quo, ad  
 Rempublicam tractandam, uterere. TV tamen,  
 quasi nihil parumue didicisses, tanta auiditate do-

etri-

cetrinas omnis memoriae arripis, ut eas in omni-  
 bus literis exquisitoribus nauiter inuestiges.  
 Atque ex ipsis etiam negotiis, quae nunquam  
 TIBI defunt, sed in TE maxime confluunt, in lu-  
 cro deputas, si quid temporis, honeste concessi,  
 huc transferre possis. Hac animi relaxatione  
 TE firmas, ut erectior alacriorque ad opus faci-  
 undum TE referas. Aemularis Plinium, ami-  
 cum Traiani, qui, rebus urbanis fessus, in seces-  
 sum, a turba strepituque semotum, se confert.  
 Itaque, ut hic Laurentinum suum, ita TV subur-  
 banum TVVM, SCHIEBELSBERGIUM amoe-  
 nissimum lautissimumque, petis, ubi, ut ille sibi,  
 TV itidem TIBI Bibliothecam adornasti, quae  
 non legendos forte libros, sed lectitandos, prae-  
 bet Plin, lib. 2. Ep. 17. Tali modo uerum secre-

K 2

tum-



tumque Μόυσειον inuenis, ac, TIBI redditus, TIBI uiuens, TIBI studens, cum eodem Plinio, lib. 1. Ep. 9. O rectam, inquis, sinceramque uitam. O dulce otium, honestumque, ac paene omni negotio pulchrius. Ita animum erudito ingeniorum florentissimorum studio, et iucundissima doctrinarum uarietate, pascis. Ergo, si, ciuilibus multisque curis fessus, in agros excurristi, mox, redintegratus quasi, in urbem redis, ut fortior hilariorque mandatas Reipublicae partes capeffas

Habes a me, VIR PERILLVSTRIS, de TE quid doceat me Numisma Noricum, honori T V O caelatum. Cognoscis, inquantam de TE opinionem me adducant iudicia, perhonorifice, auctoribus haud incertis, de TE facta, atque



atque ad me perlata. Ex his, ego, atque aliis, quae conspirant in laudes TVAS, testimoniis satis intelligo, quale conueniat, opus afferre, quam limatum atque expoliturum, si quidem, eo instituam, meam TIBI obseruantiam approbare, huiusque memoriam, ut initio dixi, posteris tradere

Sed fruatur Apelles felicitate sua, si didicit, immortalitati pingere, ut ipse gloriatur. Equidem satis habeo, si quo ingenii munusculo, honestiore paullo, animum meum, TVI obseruantissimum testificari queam, atque hunc apud cunctos, qui sunt eruntue, testatorem facere, quoad facultas tulerit

Hoc enim ago, ut publice declarem, quantopere TE, pro meritis TVIS insignibus, colam,

spectatum his ex meritis, horumque fama cele-  
 bratum, nunquam autem uultu mihi cognitum,  
 nisi ex Numismate T V O. Illud, ex animi senten-  
 tia uehementerque opto, ut *Virtutem TVAM*,  
 diuino praesidio tectam munitamque, par ei  
*Fortuna*, semper et ubique, usque ad extremam  
 aetatem, prosequatur. Dab. Vitembergae,  
 pridie Eidus Quinctiles, Anno Salutis

clo lo cc xxxviii











Biogr. erud. L. 973

